

confirmamus, approbamus eisdem inpendendo robur debite firmitatis. In cuius rei testimonium et evidenciam plenior presentibus sigillo maiestatis nostre tradimus communitas.

Datum Wormac. IIII^o Idus Ianuarii anno domini M^o CCC^o quintodecimo, regni vero nostri anno primo.

13.

1315 Juli 1 Ingolstadt¹.

Nos Ludwicus^a dei gratia Romanorum rex semper augustus tenore presencium profiteamur et constare volumus presencium inspectoribus universis^b, quod licet^c venerabili Philippo^d episcopo Eystetensi, principi nostro karissimo, et ecclesie sue opidum^e nostrum Wizenburch^f cum universis suis pertinenciis in suorum refusionem dampnorum obligaverimus pro certa quadam pecunie quantitate et sub certis condicionibus, prout a nobis ei data super hoc publica continent instrumenta. Quia tamen ad obligacionem huiusmodi horum principum, qui sunt electores imperii, pro habundanti cautela fuit forsitan requirendus assensus, ut in hac parte obligacio per nos facta debitum firmitatis et roboris sorciatur effectum, promittimus, quod quamprimum iidem principes electores, quorum aliqui inter se iam quodammodo discordare noscuntur, concordati fuerint ad invicem et uniti, ad obtinendum ad hoc eorum consensum interponemus et adhibebimus omni qua poterimus sollicitudine partes nostras. In cuius testimonium presentes sibi dedimus litteras nostre maiestatis sigillo munitas.

Datum apud Ingolstat Kalen.^g Iulii anno domini M CCC XV, regni nostri anno primo.

a) C: 'Ludewicus'. b) C: 'universis presencium inspectoribus'.
 c) C: 'licet' fehlt. d) C: 'Phylippo'. e) C: 'oppidum'. f) C:
 'Wizenburg'. g) A: 'Kaſn'; C: 'Kſn Iulii anno domini M^o CCC^o XV^o'.

1) Original im K. B. Allgem. Reichsarchiv zu München, von kleinem Format, mit Pergamentstr. und losem Bruchstücke des zerbrochenen grossen Majestätssiegels. In dorso: 'Rex Lud' super civitate Weizenburch'. Kopialbuch fol. XXX'. Rubrum: 'Rex Lud promittit obtinere consensum principum [super obligacione] facta de oppido Wizenburch'. Die ergänzte Stelle ist am Rande mit weggeschnitten.